

TQuibus signis interna vulnera dignoscē possint.

#

CAP. XVII.

Vlnus dissolutio continui est, quæ sit in molli membro. In hoc genere sunt venæ menyngum cerebri quas vulneratas esse, significat sanguis è naribus, auribus & ore eius fluens, cui caput percussum est, etiam si nihil aut fractum, aut contusum foris in eo appareat. Item, crassam menyngem vulneratam esse indicat fungus, hoc est globosa densaque substantia, quæ quidem fracto cranio conspicitur: ibi enim fit hic fungus ex tenui meninge substantia cerebri plena, quæ per vulnus alterius menyngis, quæ crassa est, pertransit. Easdem cerebri menynges lædi magis magisque intelligimus, si protinus à casu, aut ictu æger obmutescit, aut paralyſi, aut conuulsione, aut graui sopore corripitur: quæ etiam symptomata eis eueniūt, quorum ipsi capitibus musculi, qui crotaphite dicuntur, vulnerati sunt. Internas quoque capitibus partes vulneratas oculi testantur, qui ob ictū, aut lapsum ab alto rubri inflammatique videntur. Eadem vulnera confirmat bilioſus vomitus, qui vel primo, vel secundo, aut deinceps alio die ab inficto vulnera excitatur. Pulmonem item vulneratum esse certò cognosces, si ex vulnere in

N3